

PROPHETIA DANIELIS.

DANIEL ex semine regio natus, à Nabuchodonosore adhuc adolescens ac penè puer translatus creditur, anno regni Ioachimi quarto. Qui annus, coniecto in vincula Rege, ac nonnisi duris demum conditionibus soluto, SEPTUAGINTA ANNORUM CAPTIVITATI initium attulit. In litteris & lingua Chaldaorum per triennium institutus, omnibus magis decuplo superior inventus est. Primo huius triennij anno SUSANNAM ab infanda accusatione vindicasse, ac Prophetam agere cepisse videtur; unde illi tanta inter magos illos & ariolos fama. (Infrà cap. 1. & 2.) Cur autem Prophetis eum non accenseant Hebraei, superius diximus, pag. 681. nempe quòd vitam egerit non propheticam, sed satrapicam. Attramen Christus ipse eum Prophetam appellat. Et certè illustrissima in illius libro extant de Christo testimonia. Non enim solum, ait Hieronymus, scribit eum venturum, quod ei commune cum ceteris, sed etiam quo tempore venturus sit, docet, & reges per ordinem digerit, & annos annumerat, & manifestissima signa prænunciat. Hinc est quòd Porphyrius contra Danielis librum integrum volumèn scripserit, nolens eum ab ipso, cuius inscriptus est nomine, esse compositum, sed à quodam, qui temporibus Antiochi, qui appellatus est Epiphanes, fuerit in Iudæa. Tanta enim dictorum fides fuit, ut propheta incredulis hominibus non videatur futura dixisse, sed enarrasse præterita, ut est apud eundem Hieronymum.

Totum verò Danielis librum tripartitò considerare possumus. Primis enim sex capitibus historiam rexit ab initio regni Nabuchodonosoris, ad eversum per MEDOS & PERSAS Babylonium Imperium. Duo item ultima capita fragmenta sunt historica, quæ in Hebræo quidem non habentur; sunt tamen pia & ab Ecclesia recepta. At à capite septimo ad duodecimum, visa sibi divinitus oblata exponit, quæ quia variis temporibus contingere, ea cogitur tempora reperere, quæ iam in historia serie erat prætervectus. Hæc autem quoniam non obscure, ut diximus, certa tempora, certosque reges denotant; idèd ea conati sunt multi ex historia accuratè ac minutatim explicare, à quibus non pauca decerpimus, hic ad marginem apponenda, quæ in Chronologia nostra planius, Deo iuvante, explicabuntur. Quæ verò hic adscripsimus, non ita volumus accipi, quasi integrum Prophetæ sensum à nobis expressum esse contendamus. Nec enim nos fugit propheticæ sermonis eam plerumque esse rationem, ut ea etiam quæ de rebus humanis vaticinatur, ad altiora quadam gravioraque prænuncianda referat. Ex quo fit ut non omnia ad obvium illum & historicum sensum possint penitus revocari, multaque eò tantum pertineant, quod per ipsam historiam Prophetæ voluit adumbrare. Quamobrem frustra cum Porphyrio fudant, ut verbis Hieronymi concludam, qui quæ in typo Antiochi de Antichristo dicta sunt, volunt omnia referre ad Antiochum: aut quæ Prophetæ se non intellexisse dixit, putant intelligere; librumque signatum, & usque ad tempus consummationis involutum, præsumptione mentis per singula volunt edisserere. Hier. ad cap. Dan. 12.

CAPUT PRIMUM.

Daniel, Ananias, Misael & Azarias in captivitate eliguntur, ut docti linguam Chaldaorum astarent regi: muratissimeque ipsorum nominibus, obtinent à præposito eunuchorum ut solis vescantur leguminibus, aquam bibentes: quo factò, facies ipsorum corpulentiores erant quàm illorum qui cibo regio vescabantur: quibus Deus sapientiam dedit, & Danieli prætereà intelligentiam somniorum.

* Deficiente & 4. incipiente Confer cum Ier. 25. 1. Anno M. 3398. Ant. Chr. 606.

Anno tertio * regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obfedit eam;

2. & tradidit * Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda, & partem vasorum domus Dei: & asportavit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vasa intulit in domum Thesauri dei sui *.

3. Et ait rex Asphenez præposito Eunuchorum ut introduceret de filiis Israël, & de semine regio ** & tyrannorum,

4. pueros, in quibus nulla esset macula, decòros formâ, & eruditos omni sapientiâ, cautos scientiâ, & doctos disciplinâ, & qui possent stare in palatio regis, ut docerent eos litteras, & linguam Chaldaorum.

5. Et constituit eis rex annónam per singulos annos.

quem ipse progenitorem suum appellat. In Abyd. Assyr. ** Uti Ezechie regi prædictum fuerat. Isai. 39. 7.

* Mensura Casleu (qui Decembri nostro ex parte respondet) ut colligitur ex anniversario ieiunio, quod Ier. 36. 9. prædicatum est. † V. 2. Par. 36. 6. * Beli nimirum.

gulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias.

7. Et imposuit eis præpositus eunuchorum, nomina: Danieli, Baltassar: Ananias, Sidrach: Misaeli, Misach: & Azarias, Abdénago.

* Qui tum erat annorum 12.

* Secundum preces Salomonis. 3. Reg. 8. 50.

8. Proposuit autem Daniel * in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius: & rogavit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.

9. Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam * in conspectu principis eunuchorum.

10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ ceteris adolescentibus coævis vestris, condemnabit caput meum regi.

11. Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misael, & Azariam:

12. Tenta nos obsecro servos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum:

13. & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum, qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cum servis tuis.

14. Qui, audito sermone huiusmodi, tentavit eos diebus decem.

15. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores, & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescabantur cibo regio.

16. Porro Malasar tollebat cibaria, & vinum potus eorum: dabatque eis legumina.

* Statim ab initio illius ieiunij, unde hæc iungit scriptura. Vid. infr. cap. 13.

† Hoc est donum epiphaniæ.

1. Cor. 12. 10. & 14. 26.

** Tribus annis.

Supr. v. 5.

* Ann. M. 3401. Ant. Chr. 603.

17. Pueris autem his dedit * Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientiam: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. †

18. Completis itaque diebus, ** post quos dixerat rex ut introducerentur: introduxit * eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.

19. Cùmque eis locutus fuisset rex, non sunt inventi tales de universis, ut Daniel, Ananias, Misael, & Azarias: & steterunt in conspectu Regis.

20. Et omne verbum sapientiæ & intellectus, quod sciscitatus est ab eis Rex, invenit in eis decuplum super cunctos

ariolos, & magos, qui erant in universo regno eius.

21. * Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis. * Inf. 6. 28.

CAPUT II.

Cùm sapientes Chaldæi somnium Nabuchodonosor coniectare non potentes, iuberentur omnes interimi, oranti Danieli revelatum est mysterium, qui regi aperit somnium ipsius de magna quadam statua, eiusque declarationem de quatuor regnis: quo factò Nabuchodonosor Danielem adoravit, & hostias ac incensum illi præcepit offerri, constans Dominum Deum, & exaltans Danielem.

IN anno secundo regni Nabuchodonosor * vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.

2. Præcepit autem rex, ut convocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi: ut indicarent regi somnia sua: qui cùm venissent, steterunt coram rege.

3. Et dixit ad eos rex: Vidi somnium: & mente confusus ignoro quid viderim.

4. Responderuntque Chaldæi regi Syriacè: Rex in sempiternum vive: dic somnium servis tuis, & interpretationem eius indicabimus.

5. Et respondens rex ait Chaldæis: Sermo recessit à me: nisi indicaveritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestra publicabuntur *.

6. Si autem somnium, & coniecturam eius narraveritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me: somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi.

7. Responderunt secundo, atque dixerunt: Rex somnium dicat servis suis, & interpretationem illius indicabimus.

8. Respondit rex, & ait: Certè novum quòd tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me sermo.

9. Si ergo somnium non indicaveritis mihi, una est de vobis sententia, quòd interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, ut loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, ut sciam quòd interpretationem quoque eius veram loquamini.

10. Respondentes ergo Chaldæi coram rege, dixerunt: Non est homo super terram,

* Sc. à morte patris sui Nabopolassari. Anno M. 3401. Ant. Chr. 603. Atatis Danielis 15. completo.

* Chald. in latrinis vertentur. V. 4. Reg. 10. 27.

ram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum, quisquam magnus & potens verbum huiusmodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo.

11. Sermo enim, quem tu quæris, rex, gravis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis: exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.

12. Quo audito, rex in furore, & in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis.

13. Et egressa sententiâ, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel, & socii eius, ut perirent.

14. Tunc Daniel requisivit de lege, atque sententiâ ab Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.

15. Et interrogavit eum, qui à rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententiâ à facie regis esset egressa. Cum ergo rem indicasset Arioch Danieli,

16. Daniel ingressus rogavit regem ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.

17. Et ingressus est domum suam, Ananiæque & Misaeli, & Azariæ sociis suis indicavit negotium:

18. ut quærent misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto, & non perirent Daniel, & socii eius cum ceteris sapientibus Babylonis.

19. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte revelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli,

20. & locutus ait: Sit nomen Domini benedictum à sæculo & usque in sæculum: quia sapientia & fortitudo eius sunt.

21. Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam:

22. Ipse revelat profunda, & abscondita, & novit in tenebris constituta: & lux cum eo est.*

23. Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teque laudo: quia sapientiam, & fortitudinem dedisti mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogavimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est: Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me

in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.

25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inveni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annunciet.

26. Respondit rex, & dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar: Putasne verè potes mihi indicare somnium, quod vidi, & interpretationem eius?

27. Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare regi.

28. Sed est Deus in cælo revelans mysteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo huiusmodi sunt:

29. Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui revelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quàm in cunctis viventibus, sacramentum hoc revelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

31. Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.

32. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porrò venter, & femora ex ære.

33. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.

35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ aræ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inventus est eis: lapis autem, qui percussisset statuam, factus est mons magnus, & implevit universam terram.

36. hoc est somnium: Interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex.

37. Tu rex regum es: & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi:

38. & omnia, in quibus habitant filii hominum, & bestiarum agri: volucres quoque

CAPUT III.

Ananias, Misael, & Azarias nolentes adorare statuam, quam rex Nabuchodonosor erexerat, ligati mittuntur in fornacem ignis ardentis, in qua illi manentes confitentur Domino, quod propter peccata suæ gentis, paterentur afflictiones: & petentes eius misericordiam, exhortantur omnem creaturam ad benedicendum Dominum; quod Nabuchodonosor animadvertens obstupuit, & illis de fornace egressis benedixit Deum ipsorum, iubens ut occidatur quisquis ipsum blasphemaverit.

1. Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in campo Dura provincie Babylonis.

2. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & præfectos, omnesque principes regionum, ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.

3. Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & iudices, duces, & tyranni, & optimates qui erant in potestatibus constituti, & universi principes regionum ut convenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex. stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex:

4. & præco clamabat valenter: Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis:

5. In hora, quâ audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphonie, & universi generis musicorum, cadentes adorare statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex.

6. Si quis autem non prostratus adoraverit, eadem horâ mittetur in fornacem ignis ardentis*.

7. Post hæc igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphonie, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adoraverunt statuam auream, quam constituerat Nabuchodonosor rex.

8. Statimque in ipso tempore accedentes viri Chaldæi accusaverunt Iudæos: dixeruntque Nabuchodonosor regi: Rex in æternum vive:

10. tu rex posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ,

cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua universa constituit, tu es ergo caput aureum.

39. Et post te confurget regnum aliud (a) minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum (b), quod imperabit universæ terræ.

40. Et regnum quartum (c) erit velut ferrum. quomodo ferrum comminuit & domat omnia, sic comminuet & conteret omnia hæc.

41. Porrò quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partem ferream: regnum divisum (d) erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto.

42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum (e).

43. Quod autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, (f) sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.

44. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum, (g) quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet universa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.

45. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus, (h) & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea. & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.

46. Tunc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adoravit, & hostias & incensum præcepit ut sacrificarent ei.

47. Loquens ergo rex, ait Danieli: Vere Deus vester Deus deorum est, & Dominus regum, & revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.

48. Tunc rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis: & præfectum magistratum super cunctos sapientes Babylonis.

49. Daniel autem postulavit à rege: & constituit super opera provincie Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdénago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

* Iam ergo, & ipsi multi nominis, puta ob Susanæ liberationem, quam hoc somnium triennio præcessisse arbitramur, cum esset Daniel annorum 12. Vid. infr. 13. 45. & 64.

* 1. Cor. 4. 5. 1. Ioann. 1. 6. Ioann. 1. 9. & 8. 12.

* Similis locutio Gen. 49. 1. Deuter. 4. 30. Prov. 31. 25. Isai. 2. 2. & 41. 22. & 46. 10. Jer. 23. 20. Ezech. 38. 8. & 16.

SABB. SANCTO Rome PROPH. 12. † Græci codices addunt anno decimo octavo, puta regni sui, à morte patris, ut capite superiori. Erit ergo Anno M. 3417. Ant. Chr. 587. altero post desolatam Ierusalem & concremarum veri Dei Templum anno: Et forte eo ipso die, nempe Sabbati: Ut hæc essent veluti Diis suis iuxta cum interrim filii Israël ieiunarent, ut pater Zachar. c. 7. & 8. Agebant verò tum illi pueri à scriptura appellati (si Danieli æquales fuere) annum vitæ circiter 32. * V. Ier. 29. 22.